

P R A E F A T I O.

prima Aduentus, quare caput 21. *Matthæi*: si concionem funebrem, quare textum aptum, ut est emblemata illud Jobi cap. 19. Neque vero est, quod conqueraris de breuitate concionum, quas per totum scripturæ corpus exhibemus. Nam et si plenæ dispositiones non semper occurrunt, sed fere archetypi concionum: tamen emphasis vocabulorum, & rotunditas distinctionum facit, ut breuissimæ etiam notæ, à nobis nude recitatæ, possint esse materia concionum amplissima. Induxeramus quidem in animum, omnes scripturæ libros eadem methodo explicare & applicare, qua in Psalmis usi fuimus. Sed labor ille nimis excreuisset. Quæ ipsa quoque causa est, quod plenam scripturæ explicationem, qua singula Bibliorum capita philologice, logice, & denique theologice, idque tum theoretice, tum practice, enarrare decreueramus, hic non proponserimus. Quo labore an alijs possit esset fructuofior, ego sane ignoro. Velim itaque, ut aliquis in hunc talem laborem incumbat, & singula scripturæ capita scholiis philologicis, analysi Logica, questionibus denique theologicis tum theoreticis tum practicis illustret, hancque lampada sibi à nobis traditam, alijs præferat.

XXI

I N-

H